

pigmento rubro intertrito tinctum cum aqua aut unguento odoratis impositum inter cosmetica relatum, perinde ac oleum a talco denominatum, cuius vires a sale lixiuioso procedunt, in officinis superfluum.

2. *Lapis nephriticus.* LINN. *Syst. nat. III. p. 71.*

Quondam magni habitus lapis omni odore orbis, et neque aqua neque acidis, nisi bulliente aestu fosis, solubilis. Praecauere morbos, in quos tenelli infantes a nimio terrore incurrunt, modo in cordis formam caesus iis ante pectus suspendatur, perhibitum; carpo renumue regioni si alligetur, aut a drachma dimidia ad integram ingeratur, nephritidi mederi creditum: Merito ex pharmacopoliis hodiernis exul.

3. *Amianthus.* LINN. *Syst. nat. III. p. 72. 73.*

Alumen plumosum.

Vi mechanica irritans; hinc olim extrinsecus in paralyfi adhibitum; hodie a medicis neglectum.

D. TERRAE ARGILLACEAE.

LINN. *Syst. nat. III. p. 133 sq.*

I. P V R A.

Terra aluminaris, ex alumine in aqua dissoluto cinerum clauellatorum ope praecipitata, nondum quidem in officinas recepta, sed medicorum attentione quam maxime digna, (MONRO I. c. et qui eius libri in germanorum sermonem translationem

nem

nem curauit HAHNEMANN I. p. 358.), quum perinde ac magnesia, acidum abforbeat, eo dissoluatur, et cum eo sal constituat, non modo solubile in copioso humore aqueo, sed etiam adstringente et roborante virtute praeditum.

2. IMPURAE.

LINN. *Syst. nat. III. p. 134 sqq.*

I. Bolus. LINN. *Syst. nat. III. p. 138.*

Pinguis tactu, in ore butyri instar diffluit, vngue attrita, si quidem sicca sit, nitorem quandam nanciscitur, humectata odorem leuem spargit, et pastae formam induit, igne induratur: Singularum terrarum species singulae quondam sigillis sibi propriis insignitae, hinc *terrarum sigillatarum* nomine celebres. Ob latens acidum putredini resistere, ideo in febribus malignis et venenis conducere, ob terreas particulas acrimoniam inuoluere et demulcere sibi persuasit magnus BOERHAAVE. (v. VAN SWIETEN Comment. in eius aphorismos de cognosc. et curand. morb. I. §. 88. p. 128.), qui vnciam vnā librae aquae dilutam per cochlearia aegros dysenteria putrida laborantes forbere suauit.

At acrimoniae in primis viis dominantī obuolvendae potentiora prostant medicamina; alias vires vix expectes a corporibus, nullo, quem in homine viuo offendunt, humore soluendis, nisi velis a largiori calcis ferreae inhaerentis copia rubras species, inter quas bolus, quam vocant, armena eminent, tum interno vsu paulisper adstringere et roborare,

tum

tum externo sanguinem ex vulneribus promanantem sistere posse: Ingreditur quoque formulam liquoris styptici, a Celeberr. SCHMUCKERO (*vermisch. chirurg. Schrift.* Berl. 8. Vol. I. 1771.) ad sistendum sanguinem ab euulso narium polypo largius promanantem laudati; at qui nouit, non solui vini spiritu, facile perspiciet, ad potentiam huius liquoris nihil conferre.

2. *Terra lemnia.* LINN. *Syst. nat. III. p. 136.*
 Colore carneo, et magnesia, quam continet, portione, a bolo praefertim differt; olim iisdem viribus fictitiis celebris, nunc obsoleta.

E. TERRAE SILICEAE.

LINN. *Syst. nat. III. p. 170* §qq.

Nulla liquore, nisi insigni ignis vi adiuuetur, praeter fluoris acidum quum soluantur, odore praeterea priuae, atque igni expositae quam maxime fixae, parum solatii pollicentur medico, vires salutare corporum ex dotibus externis diiudicanti; Omnes fere nostro tempore obsoletae, neque olim nisi in subtilissimum pollen comminutae (*audiebant praeparatae*) adhibitae.

- I. *Arena.* LINN. *Syst. nat. III. p. 191.*
 Sicca, calida, modo fomenti ad instar, modo balnei in modum adhibita Veteribus, inter quos loco omnium nominasse sufficiat CORN. CELSVM (de medicina, cura et studio ab ALMELOVEEN. 8. Amstelod. 1713. l. 2. c. 17. p. 93. 95.);